

SANCTI
THOMÆ AQUINATIS
OPERA OMNIA

TOMUS PRIMUS

IN ARISTOTELIS LIBROS
PERI HERMENEIAS
ET POSTERIORUM
ANALYTICORUM
EXPOSITIO

Cahiers scolastiques n°HS-2

BEATÆ MARIÆ VIRGINI
FATIMANIENSI

QUÆ IN HIS ULTIMIS TEMPORIBUS
OMNIA CONCURRERE AGIT
AD TRIUMPHUM
CORDIS EJUS DOLORIS IMMACULATÆQUE
ET AD REGNUM FILII EJUS DIVINI

AUCTOR
IN SIGNUM GRATI ANIMI
ET FILIALIS OBEDIENTIÆ
LIBENTISSIME DEDICAT

Préface de l'éditeur

Autrefois enseignée au lycée, la logique demeure la première science philosophique *in ordo discendi*, dans l'ordre d'étude. Cette primauté naturelle dans notre connaissance a d'ailleurs été reconnue par « la loi nouvelle relative au doctorat en philosophie et théologie promulguée par le Saint-Siège en 1931 » (*Le réalisme du principe de finalité*, RP Garrigou-Lagrange, ed. Desclée de Brouwer 1932, p. 242), et il n'est pas jusqu'aux philosophies idéalistes elles-mêmes (Wolf, Leibnitz, et même Kant en contradiction formelle avec le volontarisme qu'il prône) qui ne s'accordent sur ce point.

Certes, les traités de science logique ne manquent pas, et leur organisation analytique offre à l'étudiant des facilités que ne sauraient remplacer les partitions d'Aristote et de saint Thomas. Tous cependant gravitent autour des recueils originaux de ces deux maîtres en la matière.

Comment dès lors envisager une immersion véritable dans « l'art des arts » (*Post anal.*, I, 1) sans remonter à son premier ingénieur ? Alors que les ioniens (V^{ème} siècle avant JC) s'étaient plongés dans une philosophie résolument *cosmologique* et *mathématisante*, alors qu'au siècle suivant (IV^{ème} siècle avant JC) Parménide et Platon avaient œuvré en faveur d'une philosophie plus *ontologique*, c'est Aristote qui nous découvre dans son trop fameux *Organon* l'art *logistique* au III^{ème} siècle avant notre ère.

Cette découverte conférait enfin à la science une sécurité dans ses investigations, puisqu'elle en définissait en quelque sorte les « règles du jeu ». L'homme logique en effet est celui qui avance de jugement en jugement et de vérité en vérité dans l'immense sphère de l'ignorance humaine. Le raisonnement est pour lui un gage de certitude des conclusions qu'après réflexion il arrête. Et même lorsque les prémisses ne lui permettent pas d'atteindre ce degré impeccable de certitude, il sait avec discernement qualifier le degré de probabilité (position, axiome, opinion, certitude...) de la proposition obtenue.

Ces premiers pas dont nous sommes tous redevables à la Grèce antique, le monde chrétien les emboîtera pour les élever à leur perfection ultime. En plus de servir la science naturelle, la logique deviendra ainsi la servante de la théologie pour disséquer les propositions révélées autant que la Foi nous le permet.

En conséquence, rien d'étonnant à ce qu'un saint Thomas se soit livré au commentaire de celui qu'il aura toujours soin de nommer « le Philosophe » (avec un « P » majuscule). En vérité les corrections du Docteur angélique seront relativement mineures dans cette partie logistique, et il s'agira plutôt d'une explication du texte grec, explication d'autant plus nécessaire que nombre de ses prédécesseurs (Boèce, Avicenne, Alexandre, Plotin, Porphyre...) n'en avaient pas toujours compris toutes les lignes.

Ce sont les pages de cet exposé, adjoint au texte grec d'Aristote que le grand pape Léon XIII s'attacha à réimprimer au travers de son édition léonine. Le cardinal Zigliara qu'il mandata pour l'occasion enrichit encore ce texte d'annotations précieuses, qui permettent de suivre nos deux auteurs sous la forme d'un véritable cours. Ce sont du reste ces notes que Jacques Maritain a lui-même abondamment reprises dans son propre traité de logique (*Elements de philosophie II, L'ordre des concepts*, éd. Pierre Tequi).

Devant la difficulté actuelle de se procurer toutes ces richesses, nous espérons qu'une nouvelle publication de celles-ci – pour l'heure, exclusivement en latin et en grec (mais la traduction se devrait suivre prochainement...) – aideront tous les apprentis philosophes à découvrir et à redécouvrir la science logique.

Que le Bon Dieu bénisse cette entreprise !

© Editions *Schola Sapientiae*, 2021

Les textes d'Aristote et de saint Thomas étant libres de droit,
chacun peut librement copier les pages,
pourvu qu'elles participent à la formation en science logique,
et encourage le développement de cette science.

Numéro :	Hors-série n° HS-2 de la revue des <i>Cahiers scolastiques</i>
ISSN :	2426-2064
Dépôt légal :	avril 2021
Edition :	Schola Sapientiae Lierne, 36230 Tranzault, France www.scholasapientiae.fr
Impression :	Pumbo.fr (Pays-Bas)
Directeur de la publication :	Mathieu Brulaire

DIVI
THOMÆ AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI
IN LIBROS PERI HERMENEIAS
EXPOSITIO

EPISTOLA NUNCUPATORIA

DILECTIO SIBI PRÆPOSITO¹ LOVANIENSI

FRATER THOMAS DE AQUINO

SALUTEM ET VERÆ SAPIENTIÆ INCREMENTA



iligentiæ tuæ, qua in juvenili ætate non vanitati sed Sapientiæ intendis, studio provocatus, et desiderio satisfacere cupiens, libro Aristotelis, qui Peri hermeneias dicitur, multis obscuritatibus involuto², inter multiplices occupationum mearum sollicitudines, expositionem adhibere curavi, hoc gerens in animo sic altiora pro posse perfectioribus exhibere, ut tamen junioribus proficiendi auxilia tradere non recusem. Suscipiat ergo studiositas tua præsentis expositionis munus exiguum, ex quo si profeceris, provocare me poteris ad majora.

¹ α *Dilectio sibi Præposito* etc. - Cod. B : *Dilectio sibi Proposito* (et ita A) *Lovaniensi Thomas* etc.

² β *Multis obscuritatibus involuto*. Consentiant commentatores in hac s. Thomæ sententia quoad obscuritatem hujus Tractatus Aristotelis. "Magna quidem, inquit Boethius in exordio I Editionis in lib. I *Perihermeneias*, libri hujus apud Peripateticam sectam probatur auctoritas. Hic namque Aristoteles simplicium propositionum naturam diligenter examinat, sed ejus series scrupulosa impeditur semita, et sublimibus pressa sententiis, aditum intelligentiæ facilem non relinquit." Et in prologo ad secundam Edit. : "Quamquam, inquit, multa sint Aristotelis, quæ subtilissima philosophiæ arte celata sunt; hic tamen ante omnia liber nimis et acumine sententiarum et verborum brevitate constrictus est." Eadem ferme notaverat ante Boethium Ammonius in præfatione in hunc Peri hermeneias librum: "Celebris, inquit, apud philosophos nec quaquam ignobilis Aristotelis *De interpretatione* liber est, tum præceptorum quæ in eo traduntur frequentia, tum dictionis difficultate: τὴν λέξιν δυσκολίας." (Venetiis, ed. græc. Aldi Pii Manutii, 1503).

LECTIO NONA.

PROPTER QUID POTEST MANIFESTARI IN QUATUOR GENERIBUS CAUSARUM.

Ἐπει δὲ ἐπίστασθαι οἰόμεθα ὅταν εἰδῶμεν τὴν αἰτίαν, αἰτίαι δὲ τέτταρες, μία μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μία δὲ τὸ τίνων ὄντων ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι, ἑτέρα δὲ ἡ τί πρῶτον ἐκίνησε, τετάρτη δὲ τὸ τίνος ἕνεκα, πᾶσαι αὗται διὰ τοῦ μέσου δαίκνυνται.

Τὸ τε γὰρ οὗ ὄντος τοδὶ ἀνάγκη εἶναι μᾶς μὲν προτάσεως ληφθείσης οὐκ ἔστι, δυοῖν δὲ τοῦλάχιστον· τοῦτο δ' ἔστιν, ὅταν ἐν μέσον ἔχωσιν. Τοῦτου οὖν ἐνός ληφθέντος τὸ συμπέρασμα ἀνάγκη εἶναι.

Δῆλον δὲ καὶ ὧδε. Διὰ τὴν ὀρθὴν ἢ ἐν ἡμικυκλίῳ; ἢ τίνος ὄντος ὀρθή; ἔστω δὴ ὀρθὴ ἐφ' ἧς Α, ἡμίσεια δυοῖν ὀρθαῖν ἐφ' ἧς Β, ἢ ἐν ἡμικυκλίῳ ἐφ' ἧς Γ. Τοῦ δὴ τὸ Α τὴν ὀρθὴν ὑπάρχειν τῷ Γ τῇ ἐν τῷ ἡμικυκλίῳ αἴτιον τὸ Β· αὕτη μὲν γὰρ τῇ Α ἴση, ἢ δὲ τὸ Γ τῇ Β· δύο γὰρ ὀρθῶν ἡμίσεια. Τοῦ Β οὖν ὄντος ἡμίσεος δύο ὀρθῶν τὸ Α τῷ Γ ὑπάρχει· τοῦτο δ' ἦν τὸ ἐν ἡμικυκλίῳ ὀρθὴν εἶναι. Τοῦτο δὲ ταῦτόν ἐστι τῷ τί ἦν εἶναι, τῷ τοῦτο σημαίνειν τὸν λόγον.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι αἴτιον δέδεικται τὸ μέσον.

Τὸ δὲ διὰ τί ὁ Μηδικὸς πόλεμος ἐγένετο Ἀθηναίοις; τίς αἰτία τοῦ πολεμεῖσθαι Ἀθηναίους; ὅτι εἰς Σάρδεας μετ' Ἐρετρίων ἐνέβαλον· τοῦτο γὰρ ἐκίνησε πρῶτον. Πόλεμος ἐφ' οὗ Α, προτέρους εἰσβαλεῖν Β, Ἀθηναῖοι τὸ Γ. Ὑπάρχει δὴ τὸ Β τῷ Γ, τὸ πρότερος ἐμβαλεῖν τοῖς Ἀθηναίοις, τὸ δὲ Α τῷ Β· πολεμοῦσι γὰρ τοῖς πρότερον ἀδικήσασιν. Ὑπάρχει ἄρα τῷ μὲν Β τὸ Α, τὸ πολεμεῖσθαι τοῖς πρότερον ἄρξασιν· τοῦτο δὲ τὸ Β τῷ Γ τοῖς Ἀθηναίοις· πρότερον γὰρ ἤρξαν. Μέσον ἄρα καὶ ἐνταῦθα τὸ αἴτιον τὸ πρῶτον κινήσαν.

Ὅσων δ' αἴτιον τὸ ἕνεκά τίνος, οἷον διὰ τί περιπατεῖ; ὅπως ὑγιαίνει· διὰ τί οἰκία ἔστιν; ὅπως σώζεται τὰ σκευή· τὸ μὲν ἕνεκα τοῦ ὑγιαίνειν, τὸ δ' ἕνεκα τοῦ σώζεσθαι. Διὰ τί δὲ ἀπὸ δειπνῶν δεῖ περιπατεῖν, καὶ ἕνεκα τίνος δεῖ, οὐδὲν διαφέρει. Περιπάτος ἀπὸ δειπνῶν Γ, τὸ μὴ ἐπιπολάζειν τὰ σιτία ἐφ' οὗ Β, τὸ ὑγιαίνειν ἐφ' οὗ Α. Ἔστω δὴ τῷ ἀπὸ δειπνῶν περιπατεῖν ὑπάρχον τὸ ποιεῖν μὴ ἐπιπολάζειν τὰ σιτία πρὸς τῷ στόματι τῆς κοιλίας, καὶ τοῦτο ὑγιεινόν. Δοκεῖ γὰρ ὑπάρχειν τῷ περιπατεῖν τῷ Γ τὸ Β τὸ μὴ ἐπιπολάζειν τὰ σιτία, τοῦτο δὲ τὸ Α τὸ ὑγιεινόν. Τί οὖν αἴτιον τῷ Γ τὸ Α ὑπάρχειν τὸ οὗ ἕνεκα; τὸ Β τὸ μὴ ἐπιπολάζειν. Τοῦτο δ' ἔστιν ὥσπερ ἐκείνου λόγος· τὸ γὰρ Α οὕτως ἀποδοθήσεται. Διὰ τί τὸ Β τῷ Γ ἔστιν; ὅτι τοῦτ' ἔστι τὸ ὑγιαίνειν, τὸ οὕτως ἔχειν. Δεῖ δὲ μεταλαμβάνειν τοὺς λόγους, καὶ οὕτως μᾶλλον ἕκαστα φανεῖται.

Αἱ δὲ γενέσεις ἀνάπαλιν ἐνταῦθα καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ κίνησιν αἰτίων· ἐκεῖ μὲν γὰρ τὸ μέσον δεῖ γενέσθαι πρῶτον, ἐνταῦθα δὲ τὸ Γ τὸ ἔσχατον· τελευταῖον δὲ τὸ οὗ ἕνεκα.

Ἐνδέχεται δὲ τὸ αὐτὸ καὶ ἕνεκά τίνος εἶναι καὶ ἐξ ἀνάγκης, οἷον διὰ τοῦ λαμπτήρος τὸ φῶς· καὶ γὰρ ἐξ ἀνάγκης διέρχεται τὸ μικρομερέστερον διὰ τῶν μειζόνων πόρων, εἴπερ φῶς γίνεται τῷ διέναι, καὶ ἕνεκά τίνος, ὅπως μὴ πταίωμεν. Ἄρ' οὖν εἰ εἶναι ἐνδέχεται, καὶ γίνεσθαι ἐνδέχεται; ὥσπερ εἰ βροντᾷ ἀποσβεννυμένου τε τοῦ πυρὸς ἀνάγκη σίειν καὶ ψοφεῖν, καὶ εἰ ὡς οἱ Πυθαγόρειοι φασιν, ἀπειλῆς ἕνεκα τοῖς ἐν τῷ ταρτάρῳ, ὅπως φοβῶνται.

Πλεῖστα δὲ τοιαῦτ' ἔστί, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κατὰ φύσιν συνισταμένοις καὶ συνεστώσιν· ἡ μὲν γὰρ ἕνεκά του ποιεῖ φύσις, ἡ δ' ἐξ ἀνάγκης. Ἡ δ' ἀνάγκη διττὴ· ἡ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν καὶ τὴν ὁρμὴν, ἡ δὲ βία ἢ παρὰ τὴν ὁρμὴν, ὥσπερ λίθος ἐξ ἀνάγκης καὶ ἄνω καὶ κάτω φέρεται, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν αὐτὴν ἀνάγκην.

Ἐν δὲ τοῖς ἀπὸ διανοίας τὰ μὲν οὐδέποτε ἀπὸ τοῦ

* Quoniam autem scire opinamur cum sciamus causam, causæ autem quatuor sunt, una quidem quod quid erat esse, una vero, cum hæc sit, necesse est hoc esse, altera autem quæ aliquid primo movet, quarta vero causa cujus gratia; omnes hæc per medium monstrantur.

Et hoc enim quod cum sit, hoc necesse est esse, una quidem propositione accepta non est, duabus autem ad minus. Hoc autem est cum unum medium habeant. Hoc igitur uno accepto, conclusionem necesse est esse.

Manifestum autem est et sic: propter quid recta in medio circulo? quo existente recta est? Sit igitur recta in quo Α, media duorum rectorum in quo Β, quæ est in medio circulo in quo C. Α igitur rectam esse in C, quæ est in medio circulo, causa Β est, hoc enim ipsi Α æquale est; quod vero est C ipsi Β, duorum enim rectorum medium est. Existente igitur Β medio duorum rectorum, Α in C est, hoc autem erat in semicirculo rectam esse. Huic autem idem est quod quid erat esse, cum hoc significet ratio.

At vero et ipsius quod quid erat esse causa monstrata est media.

Propter quid autem Medorum bellum factum est Atheniensibus, quæ causa est præliari Athenienses? quoniam in Sardes cum Eretriis commiserunt. Propter hoc enim motum est primum. Sit bellum in quo Α; prius committit Β; Athenienses C. Est igitur Β in C, prius enim est committere Atheniensibus; Α autem in Β, debellari enim prius injustos. Est itaque in Β Α, debellari prius incipientes; Β autem in C, sive in Atheniensibus, prius enim inceperunt. Medium itaque hic causa est primum movens.

Quorumcunque autem causa est propter aliquid, ut propter quid ambulat? ut sanus fiat; et propter quid est domus? ut salvet vasa. Hoc ergo ut sanet, illud vero propter id quod salvet: propter quid post cœnam oportet ambulare, et cujus gratia oportet, nihil differt. Ambulare post cœnam in quo C; non eminere cibos in quo Β; sanari in quo Α. Sit igitur in eo quod post cœnam ambulat esse facere non supereminere cibos juxta os ventris, et hoc esse sanum. Videtur enim inesse ipsi ambulare, quod est C, Β quod est non eminere cibos; in hoc autem Α quod sanativum est. Quæ igitur causa est in C quod Α sit, propter quid? est Β, non eminere cibos. Hoc autem est sicut illius ratio. Α enim sic demonstrabitur. Propter quid Β in C est? quoniam hoc est sanari hoc sic habere. * Oportet autem commutare rationes, et sic magis unaquæque apparebit.

Generationes autem e contrario hic et in causis secundum motum. Ibi quidem enim medium oportet primum fieri, hic autem ipsum C ultimum. Ultimum autem est propter quid est.

Contingit autem idem et unum et propter quid esse, et ex necessitate, ut per lucernæ pellem lumen. Et namque ex necessitate digreditur quod in parva est partibilis per majores poros, si quidem lumen fit digrediendo; et propter aliquid, ut non offendamus. Itaque si esse contingit, et fieri contingit, sicut si tonat extincto igne, necesse est sizire et sonare, et si est, quemadmodum Pythagorici dicunt, minarum causa his qui sunt in tartaro, quatenus timeant.

Plurima autem hujusmodi sunt et maxime in his, quæ natura subsistunt et constantibus. Hæc quidem propter hoc natura facit, alia vero ex necessitate. Necessitas autem duplex est. Hæc quidem enim secundum naturam et aptitudinem, hæc vero violenta et contra aptitudinem; sicut lapis ex necessitate et sursum et deorsum defertur, sed non propter eandem necessitatem.

In his autem, quæ sunt ab intelligentia, alia quidem nequa-

αὐτομάτου ὑπάρχει, οἷον οἰκία ἢ ἀνδριάς, οὐδ' ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐνεκά του, τὰ δὲ καὶ ἀπὸ τύχης, οἷον ὑγίεια καὶ σωτηρία. Μάλιστα δὲ ἐν ὅσοις ἐνδέχεται καὶ ὧδε καὶ ἄλλως, ὅταν μὴ ἀπὸ τύχης ἢ γένεσις ἦ.

ὥστε τὸ τέλος ἀγαθὸν ἐνεκά του γίνεται, καὶ ἡ φύσει ἢ τέχνῃ. Ἀπὸ τύχης δ' οὐδὲν ἐνεκά του γίνεται.

SYNOPSIS. – 1. Textus argumentum et divisio. – 2. Quia quælibet quatuor causarum potest accipi ut medium demonstrationis, omnes hæ causæ possunt manifestari per medium demonstrationis. – 3. Textus subdivisio. – 4. Si causa materialis accipitur ut medium, ex necessitate sequitur conclusio; dummodo accipiantur duæ propositiones, non solum propter exigentiam syllogismi, sed etiam ut in una ipsarum declaretur quod ex tali materia aliquid ex necessitate procedit. – 5. Proponitur exemplum in mathematicis. – 6. Nempe angulus cadens in semicirculo est rectus: probatur ex eo quod sit compositus ex duobus partialibus angulis quorum unusquisque est medietas anguli recti. – Iste modus demonstrationis potest pertinere etiam ad causam formalem, seu ad quod quid est. – 7. Quod autem causa formalis

quam sunt ab eo, quod per se frustra est, ut domus, aut effigies, neque ex necessitate sunt, sed propter hoc; alia vero sunt a fortuna, ut sanitas et salus. Maxime autem sunt in quibuscumque contingit sic et aliter, cum non a fortuna generatio fit.

Quare finis bonus propter aliquid fit, et aut natura aut arte. A fortuna autem nihil propter aliquid fit.

medium possit esse demonstrationis, relinquitur ut probatum in præcedentibus lectionibus. – 8. Exemplum adducitur de syllogismo in quo medium assumptum est causa efficiens. – 9. Alius syllogismus, in quo medium assumptum est causa finalis. – 10. Est autem differentia inter medium quod est causa movens, et medium quod est causa finalis, quod illud est primum in via generationis, istud autem est ultimum in eadem via, quamvis sit primum in ordine intentionis. – 11. Quia plures esse possunt causæ ejusdem effectus, ad hunc manifestandum possunt assumi ut media diversæ illæ causæ, et diversimode possumus argumentari. – 12. Quomodo hoc se habeat in his quæ fiunt a natura. – 13. Et in his quæ fiunt a voluntate. – 14. Corollarium.



ostquam Philosophus ostendit qualiter ipsum *quid est* se habeat ad demonstrationem, hic ostendit quomodo ad demonstrationem se habeat *propter quid*, quod significat causam. Et circa hoc duo facit: primo, ostendit quomodo causæ assumantur in demonstratione; secundo, quomodo diversimode in diversis rebus; ibi: *Eadem autem causa est* etc. Circa primum duo facit: primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum; ibi: *Et hoc enim existente* etc.

2. Dicit ergo primo quod quia scire opinamur cum sciamus causam, ut in primo habitum est, demonstratio autem est syllogismus faciens scire; ita consequens est quod medium demonstrationis sit causa. Sunt autem quatuor genera causarum, ut in II *Physic.* et in V *Metaphys.* plenius manifestatur. Quarum una est quod quid erat esse, idest causa formalis, quæ est completa essentiæ rei. Alia autem est causa, qua posita necesse est causatum poni; et hæc est causa materialis, quia ea quæ sequuntur ex necessitate materiæ, sunt necessaria absolute, ut habetur in II *Physic.* Tertia autem causa est, quæ est principium motus, idest causa efficiens. Quarta autem causa est, cujus gratia fit aliquid, scilicet causa finalis. Et ita patet quod per medium demonstrationis omnes hæ causæ manifestantur; quia quælibet harum causarum potest accipi ut medium demonstrationis.

3. Deinde cum dicit: *Et hoc enim quod* etc., manifestat quod dixerat. Et circa hoc duo facit: primo, ostendit quomodo diversæ causæ sumuntur ut media demonstrationis in diversis rebus; secundo, ostendit quomodo unus et ejusdem rei possunt esse diversæ causæ; ibi: *Contingit autem idem* etc. Circa primum quatuor facit: primo, manifestat quomodo causa materialis accipitur in demonstratione; secundo, manifestat propositum in causa formali; ibi: *At vero ipsius* etc.; tertio, ostendit idem de causa efficienti; ibi: *Propter quid autem Medorum* etc.; quarto autem, in causa finali; ibi: *Quorumcunque autem* etc. Circa primum duo facit: primo, proponit modum quo causa materialis assumitur in demonstratione, qui etiam competit

aliis causis; secundo, ponit exemplum; ibi: *Manifestum est autem* etc.

4. Dicit ergo primo quod illud, quo existente necesse est aliud esse, scilicet causa materialis, non contingit accipi sic, ut ex necessitate aliquid sequatur, si accipiat una sola propositio; sed oportet accipere ad minus duas hoc modo se habentes, quod communicent in uno medio. Si ergo accipiat in duabus propositionibus unum medium, quod est causa materialis, ex necessitate sequitur conclusio: puta si dicamus: *omne compositum ex contrariis est corruptibile; lapis est huiusmodi; ergo* etc. Oportet autem accipere duas propositiones, non solum propter exigentiam formæ syllogisticæ, sed etiam quia non omnia quæ sunt ex materia, habent ex materia necessitatem, ut probatur in II *Physic.* Et ideo præter propositionem in qua sumitur hoc habere talem materiam, oportet quod sumatur alia propositio, quæ declaret quod ex tali materia aliquid ex necessitate sequatur.

5. Deinde cum dicit: *Manifestum autem est* etc., proponit exemplum in mathematicis. Nec est contra id quod dicitur in III *Metaphys.*, quod mathematicæ scientiæ non demonstrant per causam materialem. Mathematica enim abstrahit quidem a materia sensibili, non autem a materia intelligibili, ut dicitur in VI *Metaphys.*: quæ quidem materia intelligibilis consideratur secundum quod aliquid divisibile accipitur vel in numeris vel in continuis. Et ideo quodcumque in mathematicis aliquid demonstratur de toto per partes, videtur esse demonstratio per causam materialem: partes enim se habent ad totum secundum rationem materiæ, ut habetur in II *Physic.* Et quia materia magis proprie dicitur in sensibilibus, propter hoc noluit eam nominare causam materialem, sed causam necessitatis.

6. Ad evidentiam autem exempli quod in litera ponitur, sciendum est quod omnis angulus cadens in semicirculo est rectus, ut probatur in III *Euclidis*. Est autem probatio talis. Sit semicirculus A B C³⁷²; chorda autem

³⁷² ε Sit semicirculus. – Ad majorem perspicuitatem demonstrationis subnectimus figuram.


ejus, quæ est diameter circuli, dividatur per medium in puncto D, quod est centrum circuli. Erigatur ergo super punctum D linea perpendicularis, quæ attingat circumferentiam circuli in puncto B; a quo ducantur duæ lineæ ad duo puncta A et C. Dico ergo quod angulus A B C, cadens in semicirculo, est rectus. Probatio. Triangulus B D C habet tres angulos æquales duobus rectis; sed angulus ejus B D C est rectus, quia linea B D est perpendicularis; ergo duo alii anguli, scilicet D B C et B C D, sunt æquales uni recto. Sed hi duo anguli sunt æquales, eo quod duæ lineæ D B et D C sunt æquales, quia protrahuntur a centro ad circumferentiam; relinquitur ergo quod angulus D B C sit media pars recti anguli. Pari quoque modo probatur quod angulus A B D sit media pars recti. Ergo totus angulus A B C est rectus.

Hac ergo probatione utitur hic Philosophus, dicens quod manifestum est per hunc modum, propter quid est recta quæ in semicirculo, idest rectus angulus qui cadit in semicirculo, dum accipit illud, quo existente sequitur quod sit rectus. Sit ergo rectus angulus in quo A, quod est *major* extremitas; medietas duorum angulorum sit *medium*, in quo est B; angulus cadens in semicirculo sit *minor* extremitas, in quo est C. Hujus igitur quod est A esse in C, idest quod angulus in semicirculo sit rectus, causa est B, scilicet quod angulus semicirculi est medium duorum rectorum. Hoc enim medium est æquale per conversionem ipsi A, et ipsum C est simili modo æquale ipsi B. Nam B est esse medietatem duorum angulorum rectorum. Hoc igitur existente, necesse est quod A sit in C; quod nihil est aliud quam angulum semicirculi esse rectum.

Subjungit autem quod hic modus³⁷³ demonstrationis potest etiam ad causam formalem pertinere, quam nominaverat *quod quid erat esse*; eo quod esse medium duorum rectorum potest accipi ut ratio significans *quod quid est* recti anguli.

7. Deinde cum dicit: *At vero et ipsius* etc., remittit ad præmissa, et dicit quod in superioribus monstratum est quomodo causa formalis, quæ est *quod quid erat esse*, pertineat ad medium demonstrationis.

8. Deinde cum dicit: *Propter quid autem* etc., ponit



373 θ Subjungit autem quod hic modus. – Sufficimus hanc lectionem codd. lectioni P: subjungit autem hic quod modus. B: quod hujus (-modi) quod demonstrationis potest ad causam etiam formalem pertinere; Q: quod hæc demonstratio potest.

Dictum est quod in præfata demonstratione aliquid de toto conclusum est per partes, hoc est per causam materialem; nunc autem additur illamet demonstrationem posse pertinere ad causam formalem, quatenus partes assumptæ possunt significare rationem, seu definitionem anguli recti. Et optime. Nam, ut docet s. Thomas in II *Physic.* lect. V, partes speciei, quæ ponuntur in definitione, comparantur ad suppositum naturæ per modum causæ formalis, quia ab ipsis suppositum illud constituitur in determinata specie; sed ad ipsam naturam, cujus sunt partes, comparantur ut materia: nam omnes partes comparantur ad totum, ut imperfectum ad perfectum, quæ quidem est comparatio materiæ ad formam (cf. VII *Metaphys.*, lect. IX).

exemplum de causa movente, tangens quamdam Græcorum historiam: videlicet quod Athenienses quondam, adjunctis sibi quibusdam aliis Græcis, invaserunt Sardenses, qui erant subjecti regi Medorum; et ideo Medi invaserunt Athenienses. Dicit ergo quod quæri potest *propter quid* bellum Medorum factum est cum Atheniensibus; et hoc *propter quid* est causa quare Athenienses impugnati sunt a Medis: quia scilicet ipsi simul cum quibusdam aliis, scilicet Eretriis, fecerunt, insultum in Sardenses; hoc enim est quod fuit primum motivum belli. Sit ergo bellum in quo A, quod est *major* extremitas; quod priores insultum fecerunt sit B, idest *medium*; sed Athenienses sit C, idest *minor* extremitas. Igitur B est in C, in quantum scilicet Atheniensibus convenit quod priores fecerunt insultum. A autem est in B, quia scilicet illi qui prius aliis injuriam intulerunt, sunt debellati. Sic ergo A est in B, in quantum debellantur illi qui prius inceperunt. Hoc autem, scilicet B, quod est *medium*, pertinet ad Athenienses, qui prius bellum inceperunt. Et sic patet quod hic accipitur quasi medium causa quæ primo movit.

9. Deinde cum dicit: *Quorumcunque autem causa* etc., manifestat idem in causa finali. Et circa hoc duo facit: primo, proponit exemplum in causa finali; secundo, ostendit differentiam inter causam finalem et causam quæ est principium motus; ibi: *Generationes autem e contrario* etc. Dicit ergo primo quod similiter se habet cum prædictis in quibuscunque accipitur quasi causa finis, cujus causa fit aliquid. Puta si dicamus propter quid aliquis ambulat post cœnam, ut scilicet fiat sanus: et iterum propter quid est domus, ad hoc scilicet ut vasa, idest suppellectilia hominis, salventur, idest conserventur. Sic ergo hoc, scilicet ambulatio post cœnam, fit gratia sanandi; hoc autem, scilicet ædificatio domus, est gratia servandi suppellectilia. Sic ergo nihil differt dicere *propter quid* oportet post cœnam ambulare, et *cujus gratia* hoc oporteat. Sic ergo ambulare post cœnam in quo C, *minor* extremitas; sed non eminere cibos in ore stomachi sit *medium*, in quo est B; sanari vero sit *major* extremitas, in quo est A. Sit ergo B in C, quia ambulatio post cœnam facit ut non emineant cibi in ore stomachi; et propter hoc provenit sanitas, quod est A esse in B. Videtur enim quod ipsi ambulare, quod est C, insit B, quod est non eminere cibos in ore stomachi. Ad hoc autem sequitur A, quod est esse sanativum. Sic ergo patet quod B, scilicet non eminere cibos in ore stomachi, est causa quare C est A, idest quare ambulare post cœnam sit sanativum; et hoc, scilicet non eminere cibos in ore stomachi, est ratio ejus quod est esse sanativum. A enim, idest esse sanativum, sic assignabitur, idest notificabitur. Quod autem B sit in C est³⁷⁴ propter quid, quia scilicet sic se

374 κ Quod autem B sit in C etc. – Sic legimus cum codd., exc. IQ, qui om. est post C, et F, qui cum P habet: quod autem A sit in C est B propter quid. Edd. bc legunt cum P; ed. a cum codd. Textus græcus postulare videtur nostram lectionem: Δία τί τὸ B τῷ Γ ἐστίν; ὅτι τοῦτ' ἐστὶ τὸ ὑγιαίνειν, τὸ οὕτως ἔχειν. – Codd. (exc. FGLNQ) et ed. a: sanare: marg. Autem C add.:

habere ut non emineant cibi in ore stomachi est sanari. Et ad hoc quod singula fiant magis manifesta, oportet transumere rationes, ut scilicet accipiat medium quasi ratio majoris extremitatis, sicut in præmisso exemplo apparet.

10. Deinde cum dicit: Generationes autem e contrario etc., ostendit quomodo diversimode se habet et in causa quæ est principium motus. Contrario enim modo se habent in via generationis causa finalis, et causa quæ est principium motus. Nam ibi, scilicet in demonstratione quæ sumitur per causam quæ est principium motus, oportet medium primum fieri, idest esse primum in via generationis; sicut prius fuit quod Athenienses insultum fecerunt in Sardenses, quam quod impugnarentur a Medis. Sed hic, in demonstratione quæ fit per causam finalem, accipitur sicut primum in via generationis ipsum C, quod est minor extremitas, et est ultimum causatum causæ finalis. Ultimum autem in via generationis est finis, cuius gratia est aliquid. Manifestum est enim quod primo aliquis ambulat post cœnam, et ex hoc sequitur quod cibi non emineant in ore stomachi, et ex hoc ulterius sequitur sanitas hominis, quæ est principalis finis.

11. Deinde cum dicit: *Contingit autem idem* etc., ostendit quomodo ad eundem effectum possunt assumi plures prædictarum causarum. Et circa hoc duo facit: primo, manifestat plures causas esse ejusdem; secundo, ostendit in quibus habeat locum quod dictum est; ibi: *Plurima autem hujusmodi sunt* etc. Dicit

ergo primo quod contingit unum et eundem effectum esse propter aliquem finem sive gratia ejus, et ex necessitate alicujus prioris causæ; sicut hoc quod est lumen apparere per pellem lucernæ, ex necessitate provenit; necesse est enim quod corpus minorum partium transeat per poros largiores. Dicitur autem hoc secundum opinionem ponentium quod lumen sit corpus quoddam subtile, et quod apparentia luminis per diaphanum fiat propter magnitudinem pororum quasi quorundam foraminum. Corpus autem subtile videtur esse parvarum partium. Et quia hoc non est secundum suam opinionem, subjungit quod ex tali necessitate hoc provenit, si tamen lumen appareat digrediendo, idest per egressum partium ejus per poros diaphani. Hoc autem quod est apparere lumen per pellem lucernæ, est propter aliquem finem, ut scilicet ambulantes in nocte beneficio luminis non offendamus. In talibus ergo possibile est dupliciter argumentari. Uno modo a causa præexistente, ut dicamus: *si esse contingit hoc, et hoc erit*; puta si lumen impositum est lucernæ, sequitur quod diffundatur per poros pellis. Alio modo a causa posteriori, quæ est posterior in fieri; et secundum hoc argumentabimur quod si fieri contingit finem ultimum, oportet præcedere ea per quæ pervenitur ad finem. Sicut patet in tonitruo quod si est ignis extinctus, necesse est *sizire*, idest facere fremitum quemdam ignis extincti et sonum quemdam. Et si opinio Pythagoricorum est vera, quod tonitruum fiat ad comminandum his qui sunt in tartaro, oportet dicere quod tonitruum fiat ad hoc quod homines qui sunt in tartaro timeant.

12. Deinde cum dicit: *Plurima autem hujusmodi* etc., ostendit in quibus contingat hoc quod dictum est. Et circa hoc tria facit: primo, ostendit quomodo hoc se habeat in his quæ sunt a natura; secundo, quomodo se habeat in his quæ sunt a proposito; ibi: *In his autem quæ sunt* etc.; tertio, infert quoddam corollarium; ibi: *Quare finis bonus* etc. Dicit ergo primo quod plurima hujusmodi, quæ scilicet sunt ex necessitate et fiunt propter finem, maxime inveniuntur in his quæ subsistunt a natura, et in his quæ sunt per naturam constructa. Natura enim quædam facit propter finem, quædam vero facit ex necessitate priorum causarum. Quæ quidem est duplex: una secundum naturam, quæ est secundum conditionem materiæ; alia secundum causam moventem: sicut lapis movetur quidem ex necessitate quandoque sursum, quandoque deorsum, sed non propter idem genus necessitatis; sed deorsum movetur propter necessitatem naturæ, sursum autem propter necessitatem moventis, idest projicientis.

13. Deinde cum dicit: *In his autem* etc., ostendit quomodo se habeat in his quæ sunt a proposito. Et dicit quod in illis quæ fiunt per rationem, sicut sunt opera artis, quædam talia sunt quæ nunquam fiunt a casu, sicut domus et statua, nec etiam possunt unquam fieri ex necessitate naturæ; sed semper fiunt

vel sanari. – (Et ad hoc etc.) B om. hoc; AN om. quod, pro quo MO: ut. – T: singularia.

Additur ab Aristotele quod, ut præcedens syllogismus evidenter concludat id quod susceptum est probandum, oportet transumere rationes, δὲ μεταλαμβάνειν τοὺς λόγους. – Sermo est directe de causa finali, quomodo accipiat ut medium, et ideo ut propter quid effectus causæ efficientis. Declaratur autem in exemplo de propter quid, seu propter quem finem aliquis deambulat post cœnam, hoc modo. B (non eminere cibos in ore stomachi) est A (finis, qui est sanari); sed C (ambulare post cœnam) est B; ergo C est A. Nempe B est causa efficiens causæ finalis A; sed C est causa efficiens causæ efficientis B; ergo C est causa efficiens causæ finalis A. Patet ergo quod medium assumptum in hoc syllogismo non est propter quid, quod est finis (A enim est major extremitas); sed est B, hoc est causa efficiens toū A et effectus simul causæ efficientis C. Igitur, attenta materiali dispositione propositionum, non probatur per præfatum syllogismum quod susceptum est probandum, nempe modus quo accipitur ut medium causa finalis. – Verum notandum est quod sermo est de causis efficientibus quæ agunt propter finem. Finis autem in ordine executionis est terminus efficientium, sed in ordine intentionis est earumdem causarum efficientium principium. Qua de causa, sicut in ordine executionis B est medium et ratio majoris extremitatis A, et minor extremitas C est ratio medii B; ita in ordine intentionis oppositum debet verificari, ut scilicet transumptis, seu commutatis terminis et propositionibus, syllogismus hoc modo procedat: A (omne sanativum) est B (facit non eminere cibos); sed C (deambulare post cœnam) est A (sanativum); ergo C (deambulare post cœnam) est B (facit non eminere cibos). Videlicet A, quod in priori syllogismo erat major extremitas et quasi effectus medii termini B (quia procedebatur secundum ordinem efficientiæ), in altero syllogismo, quia proceditur ex ordine finalitatis, est medium, et ratio majoris extremitatis B. Insuper in priori syllogismo C erat causa medii B, et ideo causa efficiens toū A; in secundo autem syllogismo prius est causa ipsius A, et consequenter causa efficiens toū B. – Probata igitur est thesis; sed insuper monemur quod “commutatis rationibus de causa efficienti in finalem, magis apparebit et manifesta erit unaquæque demonstratio utrum sit (formaliter) per causam efficientem vel finalem.” (B. Alb. Magn. in II Poster., tract. III, cap. III, pag. 637, col. 2, seq. – Cf. Waitz II Poster. Comm. in cap. XI, pag. 409).

propter finem, quia semper fiunt a ratione, quæ non operatur nisi intendens finem. Quædam vero sunt quæ possunt quidem fieri a ratione artis, tamen possunt etiam quandoque fieri a fortuna: sicut patet de sanitate, quæ quandoque fit per artem medicinæ; sed tamen, quia potest provenire ex aliqua causa naturali, potest contingere quod aliquis sanetur præter intentionem, sicut si leprosus sanetur ex esu serpentis, quem comedit ut moreretur. Et similiter contingit de salute; cum scilicet aliquis intrans domum propter aliquid aliud, liberatur de manu inimicorum quærentium ipsum. Et hoc maxime contingit in omnibus rebus in quibus contingit quod aliquid fit et sic et aliter, cum non a fortuna fit, idest cum contingit eundem effectum non fortuito ex diversis causis provenire. Puta po-

test aliquis intrare domum non a fortuna ut salvetur a manu hostium, vel ut comedat, vel ut quiescat. Unde si intendendo unum eorum eveniat aliud, erit a fortuna. Sed domus et statua non fiunt nisi per easdem causas; et ideo talia non contingit fieri a fortuna.

14. Deinde cum dicit: *Quare finis bonus* etc., concludit ex præmissis quod pervenire ad bonum est aut a natura aut ab arte. Ars enim et natura similiter operantur propter finem, ut habetur in II *Physic.* Sed a fortuna non fit aliquid gratia hujus. Quod ideo dicitur, quia etsi fortuna contingat in his quæ fiunt propter aliquid, ut dicitur in II *Physic.*, illud tamen quod dicitur a fortuna fieri, non est intentum tanquam finis, sed præter intentionem accidit.



Table des matières (du tome I)

Préface de l'éditeur.....	III
---------------------------	-----

IN LIBROS PERIHERMENEIAS

EXPOSITIO

Epistola Nuncupatoria.....	1
Liber I.....	2
<i>Lectio I-</i> Proœmium.....	2
<i>Lectio II-</i> De vocum significatione.....	7
<i>Lectio III-</i> De diversa vocum significatione.....	12
<i>Lectio IV-</i> De nomine.....	17
<i>Lectio V-</i> De verbi natura et ejus convenientia ad nomen.....	22
<i>Lectio VI-</i> De principio formali enunciationis, quod est oratio.....	29
<i>Lectio VII-</i> De enunciationis definitione.....	34
<i>Lectio VIII-</i> De divisione enunciationis in simplicem et compositam, affirmativam et negativam.....	37
<i>Lectio IX-</i> De oppositione affirmationis et negationis absolute.....	44
<i>Lectio X-</i> De divisione propositionum ex parte subjecti: deque oppositione affirmationis et negationis in propositionibus universalibus et in indefinitis.....	47
<i>Lectio XI-</i> De oppositione inter propositiones universales et particulares deque modo quo se habent affirmatio et negatio oppositæ ad verum et falsum.....	55
<i>Lectio XII-</i> Quod uni affirmationi una sola negatio opponitur.....	60
<i>Lectio XIII-</i> De veritate et falsitate in oppositis propositionibus singularibus de futuro in materia contingenti.....	64
<i>Lectio XIV-</i> Iterum de propositionibus singularibus de futuro in materia contingenti de contingentia in rebus deque contingentia radicibus.....	69
<i>Lectio XV-</i> Ex modo quo veritas se habet circa res concluditur qualiter veritas se habeat circa propositiones.....	78
Liber II.....	82
<i>Lectio I-</i> De distinctione et ordine simplicium enunciationum, in quibus nomen finitum vel infinitum ponitur tantum ex parte subjecti.....	82
<i>Lectio II-</i> De numero et habitudine inter se simplicium enunciationum de tertio adjacente, in quibus prædicatur verbum est et subjicitur nomen finitum non universaliter sumptum.....	86
<i>Lectio III-</i> De numero et habitudine enunciationum in quibus prædicatur verbum est et subjicitur nomen finitum universaliter sumptum, vel nomen infinitum, et in quibus prædicatur verbum adjectivum.....	94
<i>Lectio IV-</i> Nonnullæ circa ea quæ dicta sunt dubitationes moventur ac solvuntur.....	100
<i>Lectio V-</i> De multiplicitate enunciationum juxta quosdam modos, quibus non unam, sed plures esse contingit unam enunciationem.....	105
<i>Lectio VI-</i> Ex aliquibus divisim prædicatis de subjecto sequitur enunciatio de eisdem conjunctum in eodem subjecto, ex aliquibus autem non sequitur.....	108
<i>Lectio VII-</i> An ex enunciatione habente plura prædicata conjunctim inferre liceat enunciationem quæ eadem prædicata divisim continet.....	112
<i>Lectio VIII-</i> De propositionibus modalibus earumque inter se oppositione.....	116
<i>Lectio IX-</i> De negatione apponenda non verbo sed modis in contradictionibus propositionum modalium.....	120
<i>Lectio X-</i> De propositionum modalium consequentiis.....	123
<i>Lectio XI-</i> An ad illud quod est, necessarium esse, sequatur id quod est, possibile esse?.....	129
<i>Lectio XII-</i> Declaratis potentiis quæ æquivocæ dicuntur, sumitur ratio impossibilis ad determinandum quodam ex possibilibus ad necessarium sequatur.....	132
<i>Lectio XIII-</i> Contrarietas in animi opinionibus constituitur ex aliqua veri falsique oppositione.....	136
<i>Lectio XIV-</i> Illa veri falsique oppositio quæ opinionum contrarietatem constituit, est oppositio secundum affirmationem et negationem ejusdem de eodem.....	140

IN LIBROS POSTERIORUM ANALYTICORUM

EXPOSITIO

Liber I.....	148
<i>Lectio I- Prooemium.....</i>	<i>148</i>
<i>Lectio II- De modo et ordine præcognitionis necessariæ ad scientiam acquirendam.....</i>	<i>154</i>
<i>Lectio III- De præcognitione conclusionis.....</i>	<i>159</i>
<i>Lectio IV- De natura syllogismi demonstrativi.....</i>	<i>163</i>
<i>Lectio V- De propositionibus primis et immediatis.....</i>	<i>171</i>
<i>Lectio VI- De immediatorum principiorum cognitione.....</i>	<i>176</i>
<i>Lectio VII- Duo errores, quorum primus est, quod nullius rei sit scientia; alter, quod omnium possit haberi scientia per demonstrationem. – excluditur primus error.....</i>	<i>180</i>
<i>Lectio VIII- Alter error excluditur ostendendo quod non contingit circulariter demonstrare.....</i>	<i>184</i>
<i>Lectio IX- De principio quod est, dici de omni.....</i>	<i>191</i>
<i>Lectio X- De altero principio quod est, dici per se.....</i>	<i>195</i>
<i>Lectio XI- De tertio principio quod est, dici ut universale, et de modo quo universali utitur demonstratio.....</i>	<i>200</i>
<i>Lectio XII- Quo modo in acceptione universalis errare contingat.....</i>	<i>204</i>
<i>Lectio XIII- Demonstratio procedit ex necessariis.....</i>	<i>210</i>
<i>Lectio XIV- Demonstratio est de his et ex his quæ sunt per se.....</i>	<i>217</i>
<i>Lectio XV- Demonstratio non potest transire de uno ad aliud genus extraneum.....</i>	<i>221</i>
<i>Lectio XVI- Ostenditur demonstrationem esse de perpetuis, non autem de corruptibilibus.....</i>	<i>225</i>
<i>Lectio XVII- Demonstratio procedit non ex communibus, sed ex propriis principiis rei demonstratæ.....</i>	<i>230</i>
<i>Lectio XVIII- De differentia inter principia et non principia, principia communia et propria.....</i>	<i>235</i>
<i>Lectio XIX- De differentia principiorum communium ab invicem.....</i>	<i>240</i>
<i>Lectio XX- Quomodo demonstrativæ scientiæ se habeant ad principia communia.....</i>	<i>244</i>
<i>Lectio XXI- De interrogationibus, responsionibus et disputationibus in qualibet scientia propriis.....</i>	<i>248</i>
<i>Lectio XXII- Quod in qualibet scientia sunt propriæ deceptiones et ignorantia.....</i>	<i>251</i>
<i>Lectio XXIII- De differentia inter demonstrationem quia et propter quid in eadem scientia; ac de demonstratione quia per effectum.....</i>	<i>259</i>
<i>Lectio XXIV- De demonstratione quia per non immediata.....</i>	<i>264</i>
<i>Lectio XXV- De differentia demonstrationis quia a demonstratione propter quid in diversis scientiis sive subalternatis, sive non subalternatis.....</i>	<i>268</i>
<i>Lectio XXVI- Syllogismus demonstrativus maxime fit in prima figura. – De propositione negativa tum mediata, tum immediata.....</i>	<i>273</i>
<i>Lectio XXVII- De syllogismo, per quem inducitur in nobis ignorantia vel deceptio. Et primo, quomodo circa prima et immediata causatur ignorantia qua existimatur esse, quod non est.....</i>	<i>279</i>
<i>Lectio XXVIII- De syllogismo ignorantia, quod in Ia et in Iia figura concluditur negativa falsa contraria affirmativæ immediatæ.....</i>	<i>283</i>
<i>Lectio XXIX- De syllogismo ignorantia in propositionibus mediatis.....</i>	<i>287</i>
<i>Lectio XXX- De ignorantia simplicis negationis.....</i>	<i>291</i>
<i>Lectio XXXI- Quæstiones moventur an sit stare in extremis et mediis syllogismi demonstrativi, vel sit possibilis processus in infinitum.....</i>	<i>295</i>
<i>Lectio XXXII- Dubitatio quæ est de processu in infinitum in mediis reducitur ad dubitationem quæ movetur de extremis. Item dubitatio quæ est de processu in infinitum in demonstrationibus negativis reducitur ad dubitationem quæ est de affirmativis.....</i>	<i>300</i>
<i>Lectio XXXIII- Logice ostenditur demonstrationes non posse procedere in infinitum in prædicatis quidditativis. – prænotamina quædam ad solvendam universaliter quæstionem de processu in infinitum in prædicatis affirmativis.....</i>	<i>305</i>
<i>Lectio XXXIV- Per logicas rationes ostenditur universaliter quod in prædicatis affirmativis non proceditur in infinitum, neque per modum circulationis, neque secundum rectitudinem in sursum vel deorsum.....</i>	<i>311</i>
<i>Lectio XXXV- Ostenditur analytice quod in prædicatis non est in infinitum procedere, neque in sursum neque in deorsum.....</i>	<i>316</i>
<i>Lectio XXXVI- Corollaria quædam ex dictis.....</i>	<i>319</i>
<i>Lectio XXXVII- Utrum demonstratio universalis potior sit demonstratione particulari. – disputatur pro parte</i>	

negativa.....	326
<i>Lectio XXXVIII-</i> Demonstratio universalis potior est demonstratione particulari.....	331
<i>Lectio XXXIX-</i> Demonstratio affirmativa est potior negativa.....	336
<i>Lectio XL-</i> Demonstratio negativa ostensiva potior est demonstratione ducente ad impossibile.....	339
<i>Lectio XLI-</i> De comparatione scientiæ ad scientiam secundum certitudinem, et secundum unitatem et pluralitatem.....	342
<i>Lectio XLII-</i> Scientia non est de rebus fortuitis, neque de rebus quæ cognoscuntur per sensum.....	349
<i>Lectio XLIII-</i> Non eadem sunt principia omnium syllogismorum.....	354
<i>Lectio XLIV-</i> De comparatione scientiæ ad alios cognoscendi modos.....	360
Liber II.....	366
<i>Lectio I-</i> Quatuor sunt quæstiones ad scientiam pertinentes, et omnes sunt quæstiones medii.....	366
<i>Lectio II-</i> Utrum definitio significans quod quid est possit demonstrari.....	372
<i>Lectio III-</i> Utrum quod quid est, quod est definitionis significatum, possit demonstrative probari per acceptiorem convertibilium terminorum.....	377
<i>Lectio IV-</i> Utrum quod quid est possit demonstrari per viam divisionis.....	382
<i>Lectio V-</i> Utrum possit demonstrari quod quid est accipiendo id quod requiritur ad quod quid est.....	386
<i>Lectio VI-</i> Utrum quod quid est possit ostendi demonstratione vel definitione.....	390
<i>Lectio VII-</i> De duobus modis, logico et demonstrativo, manifestandi quod quid est.....	395
<i>Lectio VIII-</i> Non est possibile in omnibus accipere quod quid est per demonstrationem – quomodo se habeat definitio ad demonstrationem.....	400
<i>Lectio IX-</i> Propter quid potest manifestari in quatuor generibus causarum.....	404
<i>Lectio X-</i> Quomodo in demonstratione accipiat propter quid, seu causa quæ est simul cum eo cuius est causa – Prænotamen ad alteram quæstionem de causa quæ non est simul cum effectu.....	409
<i>Lectio XI-</i> Quomodo per demonstrationem accipiat causa quæ non est simul cum effectu.....	413
<i>Lectio XII-</i> Quomodo in demonstratione accipiat causa quæ non est simul cum effectu in iis quæ circulariter fiunt; et qualiter diversimode demonstretur per causam in his quæ sunt semper, et in his quæ sunt ut frequenter.....	417
<i>Lectio XIII-</i> Qualia esse oporteat ea quæ constituunt definitionem significantem essentiam rei.....	420
<i>Lectio XIV-</i> De divisione generis ad investigandum ea quæ ponenda sunt in definitione.....	424
<i>Lectio XV-</i> Duo errores excluduntur. - quæ secundum rei veritatem requirantur ad constituendam definitionem per viam divisionis.....	427
<i>Lectio XVI-</i> De modo investigandi definitiones per similia et dissimilia.....	430
<i>Lectio XVII-</i> De modo investigandi propter quid circa singula problemata, deque convenientia problematum in eo quod est propter quid, tum quoad unitatem medii, tum quoad ordinem mediorum.....	433
<i>Lectio XVIII-</i> De coexistentia causæ ad causatum quantum ad simultatem consecutionis.....	437
<i>Lectio XIX-</i> Utrum ad unitatem causæ sequatur unitas effectus, et e converso. - Manifestatur modus consecutionis causæ et effectus.....	441
<i>Lectio XX-</i> Quomodo cognoscantur a nobis prima principia demonstrationis.....	446

Nota Bene: Des annexes plus complètes sont disponibles sur notre site internet www.scholasapientiae.fr dans la rubrique **Bibliothèque**, et actualisées régulièrement.